Σὺν Θεῷ

DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE

PARENTUM AD NUPTIAS A LIBERIS CONTRAHENDAS CONSENSU

Magnificô Jurisconsultorum Ordine
Consentiente
In Illustri ad Pregelam Albertinâ
PRÆSIDE
VIRO
MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
DNO. JOHANNE CHRISTOPHORO Boltz/
U. J. D. & P. P. Ord., p. t. ACADEMIÆ RECTORE
Præceptore & Promotore studiorum suorum
æternùm devenerandô
Eruditorum examini sistit

CHRISTOPHORUS à Lohen/
Prussus.

ANNO 1685. d. 27. Septembr. horis antemer.
In Auditoriô Majori.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

VIRIS

MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO

DNO. JOHANNI CHRISTOPHORO Boltz/

U. J. D. & P. P. Ord. Celeberrimo, p. t. ACADEMIÆ RECTORI,

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

DNO. CHRISTIANO Feyerabend/

Reip. Cniphof. Regiom. Pro-Consuli Graviſſimo,

NOBILISSIMO, SPECTATISSIMO, DOCTISSIMO,

DNO. EMANUELI CHRISTIANO Schmiedichen/

P. L. C. & Civi inter Lœbnicenſes Primario,

PRÆSIDI, PATRONIS, FAUTORIBUS,

Colendo, Suſpiciendis, Honorandis



Fœtum ſtudiorum præſentem

D. D. D.

CHRISTOPHORUS à Lohen/

Aut. & Reſp.

C. A. L!



Egibus impedit Magiſtratus, nè quid contra bonos mores fiat. His enim latis quisq;, quæ agere ſibi conveniat, novit. Leges igitur ferendæ, ut quivis, quomodo vivere debeat, ſciat. Modò dicta locum etiam habent in Societate Nuptiali. Cùm enim Magiſtratûs interſit ſcire, quæ Societates, in quarum numerô & Conjugium ſeu Societas Nuptialis eſt, in Republicâ formentur, & harum cauſâ Leges certas obſervare juſſit. Eam itaq; Legem, quæ agit de Parentum ad nuptias â Liberis contrahendas Conſenſu, non tantùm Philoſophiæ Practicæ, ſed & Jurisprudentiæ convenire, extra omnem eſt controverſiam.

§. 2. Parentum verò Conſenſum ad Nuptias â Liberis contrahendas neceſſariò requirit Jus Civile Romanum *pr. I. de nupt.*, *l. 2. & 18. & 34. pr. D. de rit. nupt.*, *l. 7. & 12. & 20. C. de nupt.*, *auth. l. 5. & l. fin. C. de repud. & jud. de morib. ſubl.*, *l. un. §. 1. verſ. Oportet. C. de rapt. virg.*, *c. 19. N. 22.* Hoc autem fieri debere, ſuadet & naturalis & civilis ratio *pr. I. de nupt.* Naturalis: æquum enim eſt, ut parentes, qui liberos ad hanc usq; ætatem educârunt, ſuſtentârunt, id honoris habeant, & matrimonio conſentiant, vel de eo conſulantur, parentes enim optimum conſilium pro liberis capere præſumuntur *l. 22. §. 4. D. ad l. Jul. de adult.* & natura omnes gentes obedire parentibus docuit *l. 2. D. de juſt. & jure.* At verò obediens eſt ſubjectus ei, cui obtemperat, adeoq; tantum negotium absq; ejus, qui ipſi imperat, voluntate & conſenſu peragere nullo poteſt modô. Et hinc etiam fluit Civilis una ratio, quia nempe liberi patris poteſtati ſunt ſubjecti. Altera civilis ratio eſt, nè invito ſuus adnaſcatur hæres *arg. §. 7. I. de adopt.* Quæ rationes efficiunt, ut actus hic absq; conſenſu patris ſit irritus, adeò, ut nec dotis, nec donationis exactioni locus ſit, atq; nec vir, nec uxor, nec nuptiæ intelligantur *§. 12. I. de nupt.*

§. 3. Conſentit cum Jure Civili & Jus Canonicum *c. 1. c. 3. c. 4. C. 30. q. 5.*, *c. 12. c. 13. c. 16. C. 32. q. 2.*, *c. 8. C. 36. q. 2.*, *c. 3. ext.*

qui matrim. accuſ. poſſ. Solum quidem eorum, de quorum conjunctionibus agitur, conſenſum ſufficere vult *c. 2. C. 27. q. 2.* & *c. 23. ext. de ſponſal. & matrim.* & eapropter nonnulli ſtatuunt, Jus Canonicum non requirere Conſenſum Parentum ad nuptias à Liberis contrahendas; verùm non ſimpliciter *locô priori cit.* dicitur, ſufficere ſolum conſenſum contrahentium, ſed dicitur, ſufficere ſecundùm leges ſolum eorum conſenſum, de quorum conjunctionibus agitur. At leges requirunt conſenſum parentum, ut ex antè *cit. locis* conſtat. Senſus ergo hic eſt, ſufficere ſolum contrahentium conſenſum, ſi ſecundùm leges fiat, hoc eſt, ſi conſentiant conſentientibus parentibus, ùt leges volunt. Si enim Parentes conſenſum non adhibuerint, ſecundùm leges nullum fit matrimonium juxta *c. 3. ext. qui matrim. accuſ. poſſ.* Et ità etiam locus cit. poſterior capiendus eſt, hunc enim tot locis ex Jure Canonicô citatis contrariari exiſtimandum non eſt. Adde, locum hunc poſteriorem loqui de mutorum & ſurdorum conjunctionibus, in iisq; ſolum conſenſum ſignis declaratum requirere; excluditur igitur hîc conſenſus, qui fit verbis. Jus ergo Canonicum cum Jure Civili in hôc convenire, eſt in apricô.

§. 4. Neq; Jus Divinum contrariatur *Exod. XXII. 17. Deuter. VII. 3.* Pertinet huc etiam jusjurandum Iſraëlitarum adverſus Benjamitas *Jud. XXI. 1.* & quæ habet Apoſtolus *I. ad Corinth. VII. 36. 37.* Et *Numer. XXX. 4. 5. 6.* promiſſio filiæ, Deo facta, parentis arbitriô fit irrita, quantò magis promiſſio filiæ, homini facta? Hinc etiam Simſon eam, quam amabat, antè ducere noluit, quàm conſenſiſſent parentes *Jud. XIV.*

§. 5. Conſentit etiam Jus Provinciale Prutenicum *L. II. T. I. A. I. §. 1.* adeò, ut etiam liberos contra conſenſum parentum nuptias contrahentes exhæredare parentibus permittat nonnunquam *l. c. §. 3.*, quod tamen Jus Civile parentibus non largitur, niſi filius duxerit ignominioſam mulierem *l. 3. §. 5. D. de bon. poſſ. cont. tab.* Et hoc quidem valuit de Jure Digeſtorum, pòſt verò in Novellis expreſſæ ſunt cauſæ, propter quas & non alias, pater liberos exhæredare poteſt *c. 3. N. 115.*

§. 6. Allata meliùs percipiuntur explicatione vocum; Parentum, Conſenſûs & Liberorum.

§. 7.

§. 7. Per Parentes hîc intelliguntur Pater, Avus & alii ex lineâ paternâ ascendentes, in quorum scilicet potestate sunt *§. fin. I. de patr. pot.*, *l. 2. & 34. pr. D. de rit. nupt.*, *l. 7. & 12. & 20. C. de nupt.*, *l. fin. C. de repud. & jud. de mor. subl.*, *c. 19. N. 22.* non Mater, Avus & alii ascendentes ex lineâ maternâ, nec Avia, Abavia, & aliæ fœminæ ascendentes tum in paternâ tum in maternâ lineâ, quia nempe liberi in horum potestate non sunt *§. 10. I. de adopt.* & *§. fin. I. de patr. pot.* Requiritur namq; consensus eorum, in quorum potestate sunt, *pr. I. de nupt.*, *l. 2. D. de rit. nupt.* Et Nepos quamvis in potestate Avi tantùm sit, Patris tamen etiam consensum adhibere necessum habet *l. 16. §. 1. D. de rit. nupt.*, nè patri invitus hæres adnascatur, quæ ratio cùm in Nepte nubente cesset, Neptis solo consensu avi adhibitô nubere potest *d. §.* Nec obstat *l. 3 eod.* quæ concedit, si Nepotem ex filiô, & Neptem ex altero filiô in potestate habeam, nuptias inter eos me solo autore contrahi posse; loquitur enim hæc de speciali casu, si scilicet Nepotis pater non vivat, aliàs ejus consensus requiritur juxta *d. l. 16. §. 1. D. de rit. nupt.*

§. 8. Dictum est, Matris Consensum ad nuptias à liberis contrahendas non esse necessarium, quod tamen videtur esse non solùm contra Jus Divinum, quod sub quartô Decalogi Præceptô & Matrem comprehendit, eandemq; honorare jubet *Exod. XX. 12.*, *Deuter. V. 16.*, *ad Eph. VI. 2.*, & *Tob. IV. 3. 4.* Tobias pater filium Tobiam inter alia sic alloquitur: *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor etiam esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in uterô suô.* Sed & contra Jus Civile; nam *l. 6. D. de in jus voc.* & *l. 4 D. de Curat. fur. & al. ext. min. dand.* pietatem æquam Parentibus deberi volunt. Conf. *l. 1. & 2. D. de obs. parent. & patr. præst.*, *l. 4. D. de in jus voc.*, *l. 3. C. eod.* Et natura omnes Parentibus, Patri nempe & Matri, obedire docuit *l. 2. D. de just. & jure.* Præterea non solùm Patres verùm etiam Matres ipsos liberos aluerunt & educârunt.

§. 9. Verùm ℞ cùm in Matre unà cum naturali civilis non concurrat ratio, tum etiam propter fragilitatem sexûs muliebris, & propter inconstantiam fœminarum, nam *Varium & mutabile semper Fœmina*, inquit Virgilius *IV. Æn. v. 569. 570.* Leges Matris Consen-

ſum non requirunt, nec vivente Patre, nec mortuô. Et vivente quidem Patre Leges planè non requirunt Matris conſenſum, mortuô verò Patre Matris conſenſum ad Filii nuptias contrahendas non requirunt Leges, ad Filiæ verò nuptias requirunt, ità tamen, ut, ſi de nuptiis puellæ quæratur, nec inter Tutorem & Matrem & Propinquos de eligendô futurô maritô conveniat, & ipſa puella cultu verecundiæ propriam noluerit voluntatem depromere coràm propinquis, arbitrium Magiſtratûs neceſsarium ſit *l. 1. & 20. C. de nupt.*

§. 10. Neq; per Parentes hîc intelliguntur ii, qui mortuis Parentibus ſunt Parentum locô, V. C. Curatores, Cognati, Affines &c. Nam *in copulandis nuptiis nec Curatoris, qui ſolam rei familiaris ſuſtinet adminiſtrationem, nec Cognatorum vel Affinium ulla autoritas poteſt intervenire, ſed ſpectanda eſt ejus voluntas, de cujus conjunctione tractatur,* ſunt verba *l. 8. C de nupt.* Et *l. 20. D. de rit. nupt.* dicitur, ad officium Curatoris non pertinere, nubat puella an non, & nubere pupillam ſuô arbitriô poſse. Si tamen puella cultu verecundiæ enunciare nolit, cui nubere velit, Judicem convocatis Curatoribus & Propinquis, decernere poſse, antè jam eſt dictum.

§. 11. Sed neq; per Parentes intelliguntur Parentes Dementes vel Furioſi. Horum enim Filii & Filiæ absq; conſenſu & voluntate, hanc quippe furioſi non habent *l. 40. D. de R. J.*, & uxores ducere & nubere queunt legitimè, tam dote, quàm ante nuptias donatione, â Curatoribus eorum conſtitutâ, coràm Magiſtratu æſtimante & nobilioribus è familiâ præſentibus *pr. I. de nupt., l. 28. C. de epiſc. aud., l. 25. C. de nupt.* Conf. Jus Provinciale Prutenicum *L. II. Tit I. Art. I. §. 7.* *Si Nepos uxorem velit ducere Avô furente, omnimodo Patris autoritas erit neceſsaria. Sed ſi Pater furit, Avus ſapiat, ſufficit Avi voluntas,* ſunt verba *l. 9. pr. D. de rit. nupt.*

§. 12. Neq; porrò per Parentes intelliguntur ii Parentes, qui oblatâ liberis honeſtâ conditione diſſentiunt, atq; ſinè ullâ cauſâ filium hanc uxorem ducere, vel filiam huic nubere prohibent. Hi enim Parentes cùm ſint quaſi furioſi, per Magiſtratum ſanandi & cogendi ſunt, ut matrimonio conſentiant *l. 19. D. de rit. nupt.* Nam ſinè juſtâ cauſâ conſenſum denegare Parentes non debent, Bened. Carpzov. *Lib. II. Jurispr. Conſiſt. Tit. III. Def. LII, LIII, LVII.*

Georg.

Georg. Ad. Struvius *Jurispr. Rom. Germ. For. L. I. Tit. VI. Num. II.* Conf. Jus Prov. Prut. *L. II. T. I. A. I. §. 13.*

§. 13. Neq; ulteriùs intelliguntur Parentes Abſentes. Si enim Pater ab hoſtibus captus ſit, & intrà triennium non revertatur, aut ità abſit, ut ignoretur, ubi degat, & an ſuperſtes ſit, elapſô trienniô non prohibentur Liberi utriusq; ſexûs nuptias legitimas contrahere *l. 9. §. 1. & l. 10. D. de rit. nupt.* aut ſi Filius vel Filia ejus, qui apud hoſtes eſt, vel abeſt, ante triennium captivitatis vel abſentiæ Patris nuptias contraxit, rectè nuptiæ contractæ ſunt, dummodo Filius vel Filia conjungatur cum eâ vel eo, cujus conditionem certum ſit Patrem non repudiaturum *l. 11. D. eod.* quamvis conſentire ob abſentiam Pater nuptiis non posſet *l. 12. §. 3. D. de captiv. & de poſtlim.*

§. 14. Neq; tandem per Parentes intelliguntur Patres Liberos in poteſtate non habentes, ſeu qui Liberos emancipârunt. Emancipare enim eſt ſolvere patriâ poteſtate, ſive é poteſtate patriâ dimittere. Conf. *§. 6. I. quib. mod. j. patr. pot. ſolv.*, *l. 36. D. de adopt.* Non enim requiritur conſenſus Parentum ad nuptias â Filiis emancipatis contrahendas *l. 25. D. de rit. nupt.* Ad nuptias tamen â Filiabus emancipatis, intrà 25. ætatis annum degentibus, ſeu virginibus ſeu viduis, contrahendas, propter fragilitatem ſexûs, nè dolô circumveniantur, conſenſum Parentum requiri æquum eſt *l. 18. & 20. C. de nupt.*, plerumq; enim fœminæ etiam adverſùs commoda propria inveniuntur laborare *l. 4. in fin. C. de ſponſal.* Egreſsæ tamen Filiæ emancipatæ 25. ætatis annum absq; Patris conſenſu nubere posſunt. Conf. *Auth. l. 19. C. de inoff. teſt.*

§. 15. Conſenſus verò Patris ad nuptias à Liberis contrahendas in tantum eſt necesſarius, ut tanquam jusſus præcedere debeat *pr. I. de nupt.* Conſentire tamen Pater videtur, qui ſciens, nuptias àLiberis contrahi, non contradicit *l. 7. §. 1. D. de ſponſal.*, *l. 5. C. de nupt.* Neq; ità ſtrictè verbum Præcedere hîc ſumendum eſt, non enim refert, ſeu præcedat ſeu ſequatur Conſenſus Parentum, dummodo is interveniat. *Igitur, ſicut deſideras, obſervatis juris præceptis, ſociare conjugio tuo, quam volueris, non impedieris, ità tamen, ut contrahendis nuptiis, Patris tui conſenſus Accedat*, loquitur *l. 12. C. de nupt.* Accedere autem non eſt Præcedere, ſed potiùs ſequi.

§. 16. Ratihabitio ergo etiam ſufficit. Conf. Joann. Schneide-

 vvinus

vvinus & Petrus Heigius *Comm. in pr. Tit. I. de nupt.* Jul. Pacius *Anal. ad Tit. I. de nupt.* Bern. Schotanus *Exam. Jurid. ad Tit. D. de rit. nupt.* Casp. Manzius *Comm. in pr. Tit. I. de nupt.* Patris enim ratihabitio vel principali mandato patris vel consensui non est absimilis, & sic etiam omnis ratihabitio, quæ non retrotrahitur ad initium nuptiarum, sed ab eo tempore, quo accessit, legitimas eas efficit *l. 65. D. de ritu nupt.*, *l. 13. §. 6. in fin. D. ad l. Jul. de adult.*, *l. 6. C. de nupt.* Franc. Hotomanus *Quæst. ill. IX.* Joh. Borcholt, Hubert. Giphanius, Arnold. Vinnius *Comm. ad. pr. I. de nupt.*

§. 17. Contraria sententia, nempe Ratihabitionem retrotrahi, defenditur per *l. 7. in fin. C. ad SC. Maced.* quia & ratihabitiones negotiorum gestorum ad illa reducuntur tempora, in quibus contracta sunt *l. 25. circa fin. C. de don. int. vir. & ux.*, *l. 56. D. de jud. & ubi quisq;*; itemq; repræsentat jussum *l. 1. §. 6. D. quod jussu*, & mandato comparatur ratihabitio *l. 1. §. 14. D. de vi & de vi arm.*, *c. 10. de reg. jur. in 6.* Conf. *l. 68. D. de jur. dot.* Cùm itaq; ratihabitio ea confirmet, quæ ab initiò subsecuta sunt, etiam in hac causâ (matrimonii scilicet) in qua nusquam specialis tradita exceptio, admittendam esse putant, & quidem in favorem legitimi statûs liberorum. Liberi enim ex concubinâ suscepti per subsequens cum eâ matrimonium fiunt legitimi *§. ult. I. de nupt.*, *l. 10. C. de natur. liber.*

§. 18. Nec obstat huic posteriori sententiæ (1) *l. 65. §. 1. D. de rit. nupt.* & *l. 6. C. de nupt.*, ubi dicitur, quòd, si magistratus in provinciâ, quam administrat, uxorem contra mandata Principum *l. 38. pr. D. de rit. nupt.* ducat, & ambo post depositum officium in eâdem voluntate perseverent, tum demum nuptiæ justæ efficiantur, & liberi postea nati ex matrimoniô justô sint legitimi. Si verò liberi tum demum nati, sunt legitimi, antea nati non erunt legitimi. Eodem modô, inquiunt nonnulli, nati ante consensum patris legitimi non sunt, sed nati post consensum. Quodsi hoc, ratihabitio patris non confirmat ea, quæ ab initiô subsecuta sunt, & per consequens non sufficit ad nuptias à liberis contrahendas.

§. 19. R. itaq;, nullam esse consequentiam. Liberis enim conceditur nuptias contrahere, dummodo habeant consensum parentum,

rentum, & cæteta requisita *t. t. I. de nupt.* at magistratui ex eâde Ð provinciâ, cui præest, uxorem ducere planè non permittitur juxta *d. l. 38. pr.* & *l. 63. D. de rit. nupt.* & *l. 2. §. 1. D. de his quæ ùt ind. auf.* atq; sic magistratus ex eâdem provinciâ, cui præest, uxorem ducere absolutè & planè non potest, liberi verò possunt sub certâ conditione, si nempe habeant consensum parentum & cætera, quæ ad nuptias requiruntur *pr. I. de nupt.* & observent ea, quæ habentur *t. t. I. de nupt.* quæ omnia licèt adsint magistratui provinciæ, tamen nuptias contrahere ipsi non conceditur. Deinde sunt expressæ leges aliæ de Ratihabitione nuptiarum â liberis contractarum *l. 12. C. de nupt.* & Legitimatione liberorum per subsequens matrimonium *§. ult. I. de nupt.*, *l. 10. C. de natural. lib.*, aliæ de Nuptiis magistratûs provinciæ *l. 38. pr.*, *l. 63.*, *l. 65. §. 1. D. de rit. nupt.*, *l. 2. §. 1. D. de his quæ ùt ind. auf.*, *l. 6. C. de nupt.*, sic, ut, quid de quovis statuendum sit, pateat.

§. 20. Nec obstat (2) *l. 13. §. 6. D. ad. l. Jul. de adult.*, ubi dicitur, quòd, siquis uxorem suam, cujus conjunctioni pater postea consensit, adulterii accusare velit, jure viri accusationem instituere non possit. Hincq; inferunt, uxorem legitimam non esse ante datum â patre consensum, ac proinde nec legitimos liberos, atq; tali quasi modô argumentantur: Ea, quæ uxor est, vel uxoris locô ùt sponsa habetur, jure mariti accusari potest. Atqui ea, cujus nuptiis pater postea consensit, jure mariti accusari nequit juxta *d. l.* Ergo uxor legitima non est. Si non est legitima uxor, nec liberi erunt legitimi.

§. 21. Rx. Committi hîc Fallaciam Ignorationis Elenchi. Non enim thesi contradicit Conclusio, thesis quippe dicit, uxorem ratihabitione patris fieri legitimam maximè propter liberos ante legitimationem natos, ut isti fiant legitimi; quod verò concernit adulterium, ante datum à patre consensum, commissum, eâ ratione uxor legitima non redditur, si enim & hac ratione legitima esset, maritus jure mariti accusationem instituere posset, quod tamen non concedunt Leges. Consequentia autem, quæ ex Syllogismô nectitur, itidem nulla est, liberos enim per subsequens matrimonium legitimari, antè jam est dictum. Conf. Ever. Bronchorst Ἐναντιοφ. *Cent. III. Assert. IV.*

§. 22. Omnia tamen, quæ pro hac sententiâ stabiliendâ allata sunt

ſunt, parum ponderis habent. Namq; (1) Ratihabitio confirmat quidem ea, quæ ab initiô ſubſecuta ſunt, atq; ſic retrotrahitur, at non omnis ratihabitio, ſeu non in omnibus caſibus *l. 4. §. 6. D. de offic. Proc.*, *l. 13. D. de his qui not. inf.*, *l. 24. D. rat. rem. hab.* Dicitur quidem *l. 7. pr. in fin. C. ad SC. Maced.* generaliter omnem ratihabitionem prorſus retrotrahi, aſt intelligendum eſt, omnem, de qua non eſt ſpecialis tradita exceptio, ratihabitionem retrotrahi, proinde cùm & de ratihabitione nuptiarum ſpecialis ſit tradita exceptio, ut patet ex *LL. §. 16. cit.*, eam non retrotrahendam eſſe, liquet. (2) Reſponſiones allatæ non contradicunt priori ſententiæ, probant enim, per ratihabitionem nuptias valere, at non probant, valere ab eo tempore, quo contractæ ſunt.

§. 23. Propter legitimationem liberorum igitur maximè Ratihabitionem valere volunt Leges. Hinc quoq;, ſi pater moriatur, antequam ratas habuerit nuptias ſinè conſenſu ſuô celebratas, nuptiæ hæ nihil valent, liberiq; in iis concepti, licet etiam poſt mortem avi ex uterô prodierint, ſunt illegitimi per *l. 11. D. de ſtat. hom.*

§. 24. Conſenſus autem patris requiritur, non coactio, hoc eſt, conſentire patrem, non cogere decet *l. 21. & 28. D. de rit. nupt. l. 134. pr. D. de verb. oblig.*, *l. 12. & 14. C. de nupt.* Conf. etiam *l. 13. D. de ſponſal.* Et hîc qvidem diſtinguit J. C. inter Filium & Filiam. Filii namq; conſenſui conſenſum patris accedere vult, atq; Filium ad nuptias contrahendas cogi vetat *l. 21. D. de rit. nupt.*, *l. 12. C. de nupt.* Filiam verò patri conſentire jubet, & tunc ſolùm diſſentiendi à patre licentiam Filiæ concedit, ſi indignum moribus vel turpem ſponſum ei pater eligat *l. 11. & 12. D. de ſponſal.* & ſi Filia patri conſentire noluerit, ſed luxurioſam degere vitam elegerit, Filiam exhæredare permittit *c. 3. Nov. 115.* Et hoc quidem eſt patris jus in Filiam non emancipatam, quod tamen in emancipatâ, minore viginti quinq; annis, mutatum eſt ſic, ut tam patris quàm filiæ voluntas exploranda ſit, *l. 20. C. de nupt.* ità tamen, ut, ſi pater & filia diſſentiant, Judicis autoritas adjungatur, & *ſi pares ſint genere ac moribus competitores, is potior exiſtimetur, quem ſibi conſulens mulier approbaverit l. 18. C. eod.* E quibus patet, arbitrium Filiarum non æquè eſſe liberum àc Filiorum.

§. 25. Quod tamen Jure Canonicô ac moribus non obtinet.

Licèt

Licèt enim parentes possint pro liberis suis matrimonia contrahere, *c. 10. & c. 29. ext. de sponsal. & matrim.* matrimonia tamen hæc effectum non sortiuntur nisi consentientibus liberis *c. 2. C. 31. q. 2.* & *c. 1. ext. de despons. impub.* & *c. un. §. fin. de despons. impub. in 6.* Jus Prov. Prut. *L. II.* T. *I. A. I. §. 9.* & cùm matrimonia debeant esse libera *c. 17.* & *c. 29. ext de sponsal. & matrim.*, atqve plenâ debeat ille securitate gaudere, cujus animus matrimonii causâ indagandus est, *nè per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire, c. 14. ext. de sponsal. & matrim.*, liberorum consensus magis attendendus est, neqve liberi ad nuptias contrahendas sunt cogendi, *cùm coactiones, difficiles soleant exitûs frequenter habere, c. 17. ext. de sponsal. & matrim.* Et hinc decernit etiam Jus Canonicum, ut, si puella virum omnino renuit, & in eâdem voluntatis autoritate persistit, viroqve illi prorsus se denegat nupturam, nequaquam ea invita & renitens ejusdem viri cogatur conjugio sociari. *Quorum enim unum corpus est, unus debet esse & animus: nè fortè virgo, cùm fuerit alicui invita copulata, contra Domini Apostoliq; præceptum, aut reatum dissidii, aut crimen fornicationis incurrat. Cujus videlicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam conjunxit invitam. Quod pari tenore de virô etiam est sentiendum*, sunt verba ex *c. 3. C. 31. q. 2.*

§. 26. Si verò parentes liberos his vel illis in conjuges dare promiserint, matrimonia autem effectum non sortiantur, seu quòd liberi non consentiant, seu aliâ etiam de causâ, etiamsi sub pœnâ certâ promiserint, pœna exigi non potest juxta *l. 134. pr. D. de verb. oblig.*, *c. 29. ext. de sponsal. & matrim.*, Jus Prov. Prut. *L. II. T. I. A. I. §. 11.* Conf. *l. 5. C. de instit. & substit.*, ubi dicitur, concordiam maritalem omni lucro præferendam esse. Sed licèt cum juramentô etiam parentes promiserint, tamen, si matrimonium liberis dissentientibus non sequatur, parentes perjuri non fiunt, intelligendum enim est in juramentô, si liberi consenserint, nisi enim hoc, juramentum esset illicitum, & eapropter quoq; non servandum. Consentire ergo, non cogere, licet patri.

§. 27. Liberorum autem appellatione intelliguntur hîc tam Filii quàm Filiæ, tam Nepotes quàm Neptes, & reliquæ descendentes personæ in potestate Parentum (quorum nomine & Avus & reliqui

 ascen-

ascendentes Mares in lineâ paternâ hôc locô comprehenduntur) non dementium vel furiosorum, sed sanâ ratione utentium, non absentium, sed præsentium, existentes, nec non Filiæ licèt emancipatæ, seu virgines seu viduæ, intrà 25. ætatis annum degentes, *l. 18. & 20. C de nupt.* Hæ namqve personæ omnes Consensum Parentum ad nuptias contrahendas habere necessariò debent.

§. 28. Consensum itaqve Parentum ad Nuptias à Liberis contrahendas esse necessarium patet. Ast

§. 29. Objicitur I. Quibuscunqve in potestate patriâ constitutis, absqve consensu parentum monasterium ingredi licet, iidem quoqve nuptias sinè parentum consensu contrahere possunt. Sed Liberis in potestate patriâ constitutis absqve consensu parentum monasterium ingredi licet *l. 51. pr.* & *l. 56. §. 1. C. de episc. & cler.* Ergo Liberi in potestate patriâ constituti nuptias sinè parentum consensu contrahere possunt. Verùm ℞. ad Majorem, negandô consequentiam. Nam (1) qui monasterium ingreditur, non præjudicat patri, maximè verò is, qui nuptias contrahit. (2.) In omni monasteriô pietas & Christiani mores exercentur, sic ut ingredienti illud nihil mali metuendum sit, adeoqve non opus habet consiliô parentis, matrimonia verò cùm multis sæpe variorum malorum causæ existant, cautè nec absqve consiliô contrahenda sunt.

§. 30. Objicitur II. Quorumcunq; bene concordans matrimonium, fortè & liberis subnixum, jure patriæ potestatis non est turbandum, ii absq; patris consensu matrimonium contrahere queunt. Sed liberorum bene concordans matrimonium, fortè & liberis subnixum, jure patriæ potestatis non est turbandum *l. 1. §. fin. D. de lib. exhib.* Ergo liberi absq; patris consensu matrimonium contrahere queunt. At ℞ itidem negandô in Majore consequentiam. Multa enim possunt impediri, dum nondum sunt facta, quæ tamen jam facta tolli non possunt.

§. 31. Objicitur III. Quicunq; in publicis causis locô patris familias habetur, ei absq; patris consensu uxorem ducere licet. Sed filiusfamilias in publicis causis locô patrisfamilias habetur *l. 9. D. de his qui s. vel al. jur. s.* Ergo filiofamilias absq; patris consensu uxorem ducere licet. Sed ℞ nullam esse in Majore consequentiam, uxorem enim ducere non est publicæ causæ, vel publici juris aut officii.

§. 32. Ob-

§. 32. Objicitur IV. Quicquid adversatur libertati matrimonii, non est admittendum. Sed parentum ad nuptias â liberis contrahendas consensus adversatur libertati matrimonii. Ergo parentum ad nuptias â liberis contrahendas consensus non est admittendus. ℞ negandô Minorem. Liberi enim matrimonio, cui volunt, jungi possunt, dummodo accedat parentum consensus *l. 21. & 28. D. de rit. nupt.*, *l. 12. & 14. C. de nupt.*, qui cùm optimum consilium pro liberis capere præsumantur *l. 22. §. 4. D. ad l. Jul. de adult.*, nè liberi infelix matrimonium ineant, prudentiâ suâ avertere possunt. Si tamen parentes bene concordanti matrimonio consentire nolint, per magistratum cogi possunt, ut consentiant *l. 19. D. de rit. nupt.* Adeoq; parentum consensus nil libertati matrimonii derogat. Conf. Hubert. Giphanius *Antin. J. C. L. I. Disp. III. n. 19. & seqq.*

§. 33. Cùm in Objectione II. mentio facta sit matrimonii contracti, lubet quærere, an matrimonium jam contractum, propter parentum dissensum sit rescindendum? Ad quam quæstionem ut bene respondeatur, statuunt duos casûs: aut enim copula carnalis jam est subsecuta, aut non est. Si est subsecuta, matrimonia rescindi non debent, licèt consensus parentum abfuerit *c. 6. ext. de raptor. incend. & viol. eccles.*, *l. 1. §. fin.* & *l. 2. D. de liber. exhib.* Res quippe tum non ampliùs est integra, & majus scandalum fieret, imò maxima injuria mulieri violatæ & desertæ. Multa quippe matrimonium contrahendum impediunt, quæ contractum non dissolvunt, *l. 8.* junct. *gloss. in verbô Retinere D. de his qui sui vel al. jur. s.* Conf. *l. 16. §. 2. D. de rit. nupt.*

§. 34. Si verò copula carnalis nondum est subsecuta, matrimonium rescindi posse probatur (1) quia consensus parentum necessariò requiritur ad nuptias â liberis contrahendas. (2) quia, si matrimonium ob dissensum parentum rescindi non posset, cuilibet nequam, viri honesti filiam decipere & quasi furari licitum esset, quod quàm adsurdum & non conveniens sit, nemo non videt. Nec locum invenit Objectio, quæ desumitur ex *Matth. XIX. 6.*, ubi locorum dicitur: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quis enim hos â Deô copulatos esse dixerit, qui sinè consensu parentum, quem Leges & Deus ipse *Exod. XXII. 17.* & *Deuter. VII. 3.* adesse nuptiis liberorum volunt, nuptias contraxêre?

§. 35. Hac

§. 35. Hac verò distinctione neglectà absurdum esse videtur absolutè, vitiosum per aliud æquè aut magis vitiosum confirmari. Hugo Donellus *Comment. Jur. Civ. L. XIII. C. XX.* Si tamen matrimonium sit bene concordans, & honestæ adsint conditiones, dubium est, an id rescindendum, an verò parentes persuadendi vel cogendi sint, ut consentiant, *l. 1. §. fin. D. de liber. exhib.*, *l. 19. D. de rit. nupt.* Sed utraq; sententia ex jure & æquitate in conflictu defendi poterit. Tantum.

COROLLARIA.

I. Licèt pater liberos nunquam cogere possit ad nuptias contrahendas, liberi tamen patrem nonnunquam ad consentiendum nuptiis cogere possunt *l. 19. D. de rit. nupt.*

II. Jus Publicum in Academiis doceri potest.

III. Plus agit leges ferens, quàm easdem examinans.

IV. Plus agit Jurisconsultus leges interpretandô, quàm Politicus easdem ferendô.

V. Legem nemo ferre potest, nisi habeat summam potestatem, aut nisi ipsi ab eo, cui summa potestas est, concessum sit *l. 2. § 47. vers. Primus Divus August. D. de orig. jur.*, *l. 1. & l. ult. C. de leg. & const. princ.*

VI. Consuetudo cùm non minùs quàm scripta lex obtineat, *l. 32. l. 33. l. 35. l. 38. D. de leg. SC. & long. consu.*, tollit priorem legem *d. l. 32. in fin.*, vel interpretatur eandem *l. 37. D. eod.*

VII. Duorum fratrum, vel sororum, vel fratris & sororis liberi matrimoniô conjungi possunt & Jure Divinô, conf. *Numer. XXXVI.*, *11. Jos. XV. 16. 17.*, & Jure Civili *§. 4. I. de nupt.*, *l. 3. D. de rit. nupt.*, *l. 78. §. 8. D. ad SC. Trebell.*, *l. 19. C. de nupt.*, non Jure Canonicô *c. 16. c. 17. c. 19 c. 20. c. 21. C. 35. q. 2. & 3.*, & *c. 2. C. 35. q. 5.*, & *c. 8. extr. de consangu. & affin.*, non Jure Provinciali Prutenicô *L. II. T. II. A. I. §. 8.*

VIII. SCto Macedoniano filiusfamilias renunciare non potest.

IX. SCto Vellejano mulier renunciare potest *l. ult. §. 4. D. ad SC. Vell.*, *l. 21. C. eod.*, *Auth. Matri & aviæ* & *l. fin. C. quando mul. tut. off. fung. pot.*, *c. 5. Nov. 118.*

X. Cui non adfuit dolus seu animus injuriandi, injuriarum non tenetur *l. 34. pr. D. de obl. & act.*, *l. 3. §. 1. & 3.*, *l. 4. l. 15. §. 23. & 38.*, *l. 18. §. 4. D. de injur. & fam. lib.*, *l. 5. l. 9. l. 10. C. de injur.*

S. D. G!

TU Patris haud duri consensum poscis, *Amice*,
Conjugii si quis fœdus inire velit.
Consensum subscribo tuo, *Charissime*, juris,
Proposito faveat fœmina virqve tuo.

a. m. mq3 f.

JOHANNES CHRISTOPHORUS Boltz/
D. h. t. Rector. Disp. Præses.

P*Luribus intentos hebetes ad singula sensus:*
Nescio, num justè carmina prisca canant.
Hoc siquidem Tua charta negat, quâ scribere gestis,
Quæ Jus, Euclides & Medicina docent.
Utile sic misces dulci, mediumqve sequendo
Mensuræ ad modulum Te studuisse probas.
Det Galenus opes, det Justinianus honores:
Ut punctum meriti, sortis & *omne feras*!

Nobilissimo & Politissimo Domino Respondenti, Auditori perindustrio, eruditionis specimen disputatione Juridica, Medica, & Mathematica feliciter exhibenti, officiosè pos.

CAROLUS FRID. LAU,
U. J. D. P. P. & supremorum Judiciorum Advocatus.

A Mon-

A Monsieur l'Autheur & Répondant de cette Dispute.

LEs TROIS Consentemens pour faire un mariage,
Dont ces deux fueilles cy discourent davantage,
Témoignent plus qu'assez, & monstrent en effet,
Que le nombre de TROIS est tout à fait parfait.
Je ne veux mettre plus pour aucun autre exemple,
Que vos TROIS Disputes : car, quand on les contemple,
Il faut qu'on dise aussi, que vous estes parfait
En ce que vous sçavez: témoin en est l'effet:
Vous brillez des éclats d'une TRIPLE Couronne
Du vray honneur, qui vous aujourduy environne,
Pour le sçavoir exquis de tant de qualités:
Elle est faite de TROIS diverses facultés:
De Droit, de Medecine & de Philosophie.
C'est l'honneur le plus grand, lequel nous signifie,
Que vous tâchez tousjours d'avancer plus avant,
Pour acquerir le nom d'un Homme Tres-sçavant.
Cette Couronne cy vous sera eternelle,
Et vous fera joüir d'une gloire immortelle,
Attendu qve depuis cette Université
A peine a-t'-on jamais veu telle rareté
De lire à ce tableau TROIS diverses disputes
Affichées ensemble, & faites des études
D'un seul & mesme Autheur & mesme Répondant,
En homme de sçavoir ses Theses defendant.
Le prix, que vostre esprit de vostre peine tire,
C'est qu'un chacun, qui lit ces pages, les admire,
Disant: ma foy, depuis cette Université
On n'a encor jamais veu telle rareté.

Pour accompagner toutes les autres felicitations faites à Monsieur de LOHEN pour ses TROIS Disputes bien dignes d'estre admirées de tout le monde, ces peu de rimes ont icy esté mises par

Georg. Frideric. May, Francon.

